



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei
declamatoribus admodum vtilis et necessaria**

Ammiani, Sebastiano

Venetiis, 1562

Serpentis prudentia in quatuor cogniscitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30415

suorum impleant, dominorum uerò est cogitare, ut seruis necessaria prouideantur. Secunda est cura sanationis. sollicitus est enim curare omnes infirmitates nostras, si eas per confessionem ostenderit. P. Augustinus. Sanat te dominus, confitere tamen peccatum tuum. Ideo Propheta dicebat. Sana me domine & sanabor, &c. Tertia est cura defensionis. defendit enim nos ab hostibus nostris, nec permittit nos tentari ab eis supra id, quod poterimus sustinere. nam ipse est protector omnium sperantiũ in se. Et Bernardus. Quid enim timendum nobis, si adest qui portat omnia? & quid nocere poterit eorum quæ sub celo sunt eis quos Deus cæli protegere, & conseruare uoluerit? Vnde Psaltes. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ a quo trepidabo? &c.

Auguf.
Pfal. 6.
& 29.
1, Co, 10
Pfal, 17
Bernar.
Pfal 28

Serpentis prudentia in quatuor cognoscitur.

Primo, quia caput suum custodit, pro eo totum corpus exponedo. sic sancti uiri pro Christo, qui est caput nostrum, & eorum

CHRISTIANA

se, & sua exponere non timent. Ad hoc propositum in prouerbiis dicitur. Qui negligit, damnum propter amicum iustus est. Et Paulus. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Nec mirum si sancti omnia pro Christo exponunt, quia eo saluo, omnia sunt eis salua. Secundo, quod in alto foramine se ponit, ut pellem ueterem deponat. sic prudens in arcta uia penitentia se ponit, ut pellem ueteris hominis deponat. Vnde Paulus. Deponite uos secundum pristinam conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur, secundum desideria erroris eius, &c. Iterum. Deponentes uos ueterem hominem cum suis actibus, induite nouum hominem, &c. Tercio, quia serpens unam aurem terra obstruit, & aliam cauda, ne uocem incantatoris audiat secundum illud. Psal. sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, &c. sic sancti uiri unam aurem obstruunt memoria mortis, & aliam consideratione propriæ fragilitatis, ne suggestioni diaboli acquiescant. Quarto quia propter inimicitias quas habet cum homine, habitat in deserto, uel latet in spinis, uel herbis. Sic sancti uiri agnoscens inimicitias quas habet mundus cum eis, fugiunt eum.

Seruire

Prou. 12

Phil. 3

**1. Ma
chab. 7**

Ephe. 4

Idem.

Psal. 57